



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. II. Persecutio Christianorum per Gallum, cum Volusiano filio
Imperatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

HAYMONIS HISTORIÆ
D. HAYMONIS
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER VII.

CAPVT I.

*Concilium sacerdotale in Roma propter hæresin
Novatianorum.*

Sedente itaque Cornelio pontifice, cum Episcopis LX. numero, totidemque presbyteris, & plurimis Diaconibus, contra Novatianorum hæresin differitur vigilanter, statuiturque suffragantibus utriusque paginæ testimoniis, eos qui lapsi fuerant curandos esse, & fomentis pœnitentiæ medicandos; & Novatum, nihil habentem charitatis fraternæ, cum reliquis sequacibus ejus, ab ecclesia sequestrari. Extat de his Epistola *Cornelii ad Fabianum* Antiochenum Episcopum, & libellus *Cypriani* magnificentissime editus; quo & lapsos confortatur, & contradicentes anathematizat. *Decius* regnat annis duobus, & tribus mensibus.

CAP. II

*Persecutio Christianorum per Gallum, cum Volusiano
filio Imperatoris.*

Interea *Decius* duobus nec integris annis functus imperio, cum filiis pariter occiditur. Quo tempore fertur etiam obiisse Origenes, cum plenus esset dierum, & pene septuagenarius. Tunc *Gallus* cum *Volusiano* filio suo obtinet imperium. Cujus cum regnum floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederent
ad

ad exemplum Decii sanctos viros, qui pro pace regni
ejus Deo supplicabant, persecutus est; cum quibus &
prosperitatem suam & pacem fugavit. Per idem tem-
pus quæstio oritur in Africæ partibus, de hæreticis
rebaptisandis vel non. Sed Cornelio cæterisque Oc-
cidentalibus Episcopis manet potius hæc sententia,
post abjectionem dogmatis, sola eos manus impositi-
one purgandos. *Cornelius* sedit annis circiter tribus.

C A P. III.

*De sententia Stephani Papæ, de non rebapti-
sands hæreticis.*

Igitur *Cornelio* per martyrium consummato, *Lucius*
succedit: quo solis mensibus octo functo Apostola-
tu, *Stephanus* levatur in antistitem: qui de non rebapti-
sands hæreticis similem *Cornelio* fert sententiam.

C A P. IV.

De hæresi Sabellianâ.

Eo tempore *Dionysius* Alexandriæ antistes famosus
habetur: qui multa & varia scribens, instructionum
nobis & doctrinæ copiosam materiam dereliquit. Ex-
tat hujus ad *Stephanum* Papam epistola, de multis ec-
clesiasticis differens caussis. Extant & ejus literæ,
quas contra *Sabellianam* hæresin persecutus est, quæ suo
tempore exorta est, plena blasphemii in Deum pa-
trem, & Dominum nostrum *Jesus Christum*, negans
vere esse eum filium patris, nec primogenitum omnis creaturæ,
I. 3 simul